



# IN TOBIAM PROLEGOMENON.

**T**obias è Tribu & urbe Neptali in superiori Galilea, & studio in Legem suo, & pietate à prima juvenia supra ceteros Israelitas præstitit. Stans enim per annum temporibus ad Templum cum primis ventitabat, decimas primitiasque suas persoluturus; cum interim ceteri Israelitæ in Regno Samariae versantes Vitulos aureos frequentarent. Post captam Samariam, in captivitatem à rege Salmanasare translatus, Ninivem incoluit, ubi in Aula Regis munus obivit Præfecti annonæ, non sine integritatis & justitiæ laude, qua favorem in se Principis conciliavit. Cum forte Ecbatanis versaretur, rogatus à Gabelo Israelita summam 10. talentorum argenti, mutui nomine contulit; de fratribus enim suis, qua erat humanitate, benemereri non dubitabat.

Post obitum Salmanasaris rerum potitus Sennacherib, neminem habuit præ Judæis invisum, quare exauctoratum Tobiam remisit. Et cum in immensum excrevisset Regis in Judæos furor, post infelicem expeditionis ipsius in Ezechiam Regem Juda exitum, nihilque jam ad miseros opprimendos fecisset reliqui, Tobias undique impavidus discurrens, jacentium defunctorum cadavera sepulturæ mandabat, tantâ pietatis sollicitudine, ut ne rescendo quidem corpori vacaret. Certior de omnibus factus Sennacherib virum conquirendum justit ad necem. Præ nimio tamen populi in eum studio factum est, ut facillè Regis solertia eluderetur. Accidit interim, ut Rex post breve temporis spatium violentâ nece subitatus interiret, quo veluti aggerè remoto, Tobias in pristina studia effusior procurrit. Dum his occuparetur, casu factum est, ut post demandatum nocte intempestâ sepulturæ cadaver, reliquum ejusdem noctis in atrio domus suæ ante murum quemdam, arctum durumque somnam capturus, ageret. Cum autem resupino vultu dormiret, hirundo quædam in superiori muri parte nidificans, excrementi sui partem quandam in dormientis oculos demisit, ex quo statim cæcitas viro inducitur. Adversæ fortunæ casum eâ animi habitudine toleravit, qua deinde querelas & insultatum necessariorum, tum etiam uxoris suæ plurima in faciem exprobrantis.

Ratus verò exitum vitæ imminere, filium suum ad Gabelum misit, pecuniæ

olim viro mutuo datæ repetendæ. Cum focus itineris quæreretur, Angelus Raphael in ipso Urbis foro sese offerens, assumptâ viri in primo ætatis flore specie, se comitem exhibuit. Primâ itineris die immanis quidam piscis minacibus faucibus in juvenem Tobiam in Tigri amne lavantem jamjam insilliebat; cum animis à Raphaelle confirmatus apprehensam arenâ belluam ad se reduxit extenteravitque, felle, corde, & jecore in usum mox referendum servans. Cum non longè essent ab Ecbatanis, Raphael Tobie aperuit filii Raguelis illi conjugia reservari; filię, inquam, Raguelis Sarę, cujus septem priores conjuges Dæmon Asmodeus ipsâ nuptiarum nocte præfocaverat. Elegantissima erat puella; & locuples, quin & Tobie arduissimo præ omnibus aliis necessitudinis vinculo adstricta; quare juxta Legis Mosaicę rescriptum & puellę nuptię, & hereditas ad illum spectabant. Secretum revelavit Angelus, quò Dæmonum astum & tyrannidem eluderet. Nuptiarum pompa celebrata est, incensique cordis, & jecoris extenterati piscis fumus Dæmonem Asmodeum fugavit, quem deinde malum Dæmonem in desertum superioris Ægypti relegatum legimus.

Dum Ecbatanis hæc agerentur, Raphael in Rages contendens pecuniam à Gabelo recepit. Dein Tobias ad Patrem se referens, vitum & præsentia, & reserata collyrio fellis ejusdem piscis, quo oculos inunxit, luminum valetudine, geminato gaudio cumulavit. Raphael suo munere fundus, coram utroque Tobia conditionem suam (hominem enim ad eam usque diem reputaverant) aperuit, qua rei novitate attonitos subito evanescentes deseruit. Post 42. annos Tobias Senior in ipso mortis limine constitutus, filios suos, & ex filiis nepotes ad se accitos salutaribus multis præceptis instituit; admonuit etiam tum de proximo Ninives excidio, cum de futura Jerosolyma restitutione. Quare Tobias junior statim post parentum suorum obitum relicta Ninive, Ecbatanas sese recepit, ubi post 99. vitæ annos, quo temporis spatio impleta patris sui in Ninive oracula oculatus testis spectavit, diem clausit extremum.

Liber Tobie nomine inscriptus utrumque Tobiam habuit Authorem, vel saltem ipsi monumenta reliquerunt, quibus inspectis recentior quidam Author Librum hunc digessit, omnibus ferè phrasibus priorum

a Tob. 2. 18. & 11. 9.

b Besebit. Rabb. & Talmud. Jerosol.

c Hieron. ad Chromatium. & Heliodorum. Quidquid ille mihi Hebraicis verbis expressit, hoc ego accito Notario sermonibus Latinis exposui.

rum Scriptorum servatis. Tobias pater semper tamquam de se loquitur in Exemplaribus Græcis, Syriacis, & Hebraicis, à primo, usque ad quartum Operis caput. In Græco, & Hebraico capite 12. legimus, Raphaelem mandatis viros illos onerasse, ut totam hanc historiam literis traderent; & in capite 13. eorumdem Textuum legimus scriptum à seniori Tobia Canticum, quod statim ibidem subjungitur. Qui verò Opus digessit, quasdam suo Marte animadversiones subdidit, tum & in exitu postremi capituli adjecit: *Completis annis nonaginta novem in timore Domini cum gaudio sepelierunt eum. Omnis autem cognatio ejus, & omnis generatio ejus in bona vita, & in sancta conversatione permansit, ita ut accipiti essent tam Deo, quam bonis hominibus & cunctis habitantibus in ea.* Hæc probabilissima visa sunt eorum, quæ de Authore Operis feruntur. Ectius persuasum habet, Opus illud primò post captivitatem Babyloniam scriptum, quòd in eo clariùs exprimitur dogma de vita æterna, & beatitudine (a). In quam etiam rem facere videntur nomina Gabriel, & Michael, sicut & nomina mensium, quæ omnia è Babyloniam derivata Judæi oppinantur (b). Sed hæc omnia equè iis favent, qui scriptum præmente captivitate Librum arbitrati sunt.

Frustrâ quis discernendum assumeret, quæ ab utroque Tobia scripta sunt, ab iis, quæ Operis Authori debentur, totum enim unicâ filii, rerum, & animadversionum serie constat. Ferunt 12. priora capita ad Patrem, reliqua ad Filium pertinere; duo postremi versus ad Colledorem sine controversia spectant. Cum verò in diversis ejusdem Libri Textibus fufiores brevioresque tum orationes, cum historiae relatę occurrant, si quis à Scriptoribus Sacris diversis vicibus recensitum Opus contenderit, variis semper adjectis vocibus, sententiisque, in nihilo tamen historiae fidem labefactantibus, unoquoque pro eo quo agebatur Spiritu, per me liceat velim.

Si duo Tobie Opus illud adornarunt, in Assyria sive Medorum regione versantes, quemadmodum certum constituunt, usos illos vernaculo regionis sermone, nempe Chaldæo, & Syriaco, satis credimus. S. Hieronymus, cum fortè Exemplar Chaldaicum nactus esset, Originale dubio procul existimavit; statimque Latine vertendum suscepit; ministerio usus viri in ea lingua instructissimi, quo Hebraicè Librum reddente, à S. Hieronymo Latinis literis actutum excipiebatur (c). Hæc Latina Versio modò obtinet, cui Divina auctoritas per Concilium Tridentinum asserta est. Simplificissima est omnium, & præ ceteris perspicua, ab iis circumstantiis, quibus suspitionis aliquid induceretur, immunis. Abest proinde ab omni corruptionis invidia, cui ceterę omnes Editiones, uti statim observabimus, obnoxie sunt.

Vetustissima, quæ supersit, versio Græca reputanda est; cujus sive tempus sive Author ignoratur. Neque Josephus, neque Philo Tobiam norant, vel saltem de illo

nihil memoriæ prodiderunt; nihil etiam eâ de re in scriptis Apostolorum; plura tamen apud veteres Christianos Authores. Opus uno consensu receperunt Pseudo-Clemens in Constitutionibus Apost. lib. 1. cap. 1. & lib. 3. cap. 15. & lib. 7. cap. 2. S. Polycarpus Epist. ad Philipp. S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1. ceterique tum Græci, tum Latini Patres [d], & Scriptorum. Vetus Latina Versio olim ante S. Hieronymum obtinens ex Græco adornata, sola ante S. Doctorem Canonica habebatur. Dom. Huetius hanc Græcam Versionem præ omnibus maximè puram, & originali conformem autumavit (e). Cur tamen S. Hieronymus novam versionem è Chaldæo suscepisset, quæ maximè à Græco non uno in loco recedit? Cur S. Augustinus in Speculo novam hanc S. Hieronymi versionem prætulit; cum ipse antea veteri Vulgatæ ex Græco Versioni assueverit? Cur tandem Ecclesia Latina pro Versione S. Hieronymi sententiam tulit, quam in disputationibus pro Religione unicè Canonicam haberi iussit?

Summam deberi fatemur reverentiam Versioni Græcæ à Patribus primorum sæculorum probatæ, cui nostrâ etiam ætate à Græcis primè deferuntur. Neque aliò colimare scimus argumenta pro autoritate Libri Tobie, ex testimonio Scriptorum Ecclesiasticorum, & Conciliorum ante S. Hieronymum deducta, quàm ut Libri Græcè scripti & in Latinum ex Græco traditi authorem efferant. Non est tamen cur inde Græcus Textus, seu Vetus Vulgata, præ Versione S. Hieronymi potior habeatur: hæc enim claritate, puritate, & acuratione ceteris præstat. Ex quibus fontibus Versionem suam derivavit S. Hieronymus, scimus; undè verò Græca, ignoratur; neque enim ad Versionem Septuaginta spectasse crediderim, cum & à Canonè Hebræorum Liber abfuerit, latueritque veteres Judæos Authores, Josephum, & Philonem. Ita pariter à Versione Theodotionis aliena est, cum à S. Polycarpo, Theodotione ipso vetustiori, laudetur. Post Septuaginta tamen adornata ex eo convincitur, quòd illud Gen. 11. 18. (f):

*Facturus ei adiutorium simile sibi, ex Versione Septuaginta laudet. Quædam etiam in Libro sententiæ occurrunt, totidem ferè verbis in Daniele (g), in Ecclesiastico (h), quin & in Evangelio recurrentes, ut illa: Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne aliquando tu alteri (i) facias; ex quibus tamen nihil de ætate scripti Operis jure meritoque inferretur; fieri enim æquè potuit, ut sive digessit Libri Tobie Author è Daniele, Ecclesiastico & Evangelio aliquid hauserit; sive vicissim illorum Librorum Authores Opus illud præ oculis sibi statuerint; sive tandem S. Spiritus eadem omnibus suggererit. Suspiciamus ergo eam Versionem Judæo cuidam Hellenistæ, Chaldæo Exemplari uso, accepto referendam. Cum tamen in ea Versione adornanda liberius, quàm quod Interpreti permiffum, vagaretur, novam alteram sibi ex Originali pro-*

d Iren. lib. 1. cap. 30. Cyp. 1. de opere & Eleemosyna, August. lib. 3. de Doctrina Christi. & in Speculo, Ambr. lib. de Tobia, & 3. Offic. Hilar. in Psal. 129. num. 7. e Huet. De monstr. Evang. propof. 4. de Libro Tobia n. 4.

f Tob. 8. 8.

g Tob. 4. 11. Dan. 14. 24. h Eccl. 3. 33. & 17. 18. & 29. 16. i Matth. 7. 2. Luc. 6. 31. Tob. 4. 16.



procurandam S. Hieronymus arbitratus est. Vetus Latina Versio, olim ante S. Hieronymum obtinens, cujus aliqua in Scriptis Veterum Patrum supersunt fragmenta, varia erat in variis Exemplaribus. R. P. Martianus integrum ejus Exemplar ex Autographo Ms. Bibliothecae S. Germani Pratenfis nobiscum communicavit, fatis quidem illud Graece ex Romanae editione conforme, difforme tamen in multis; modò enim narrationis series contractior, modò productior exhibetur; plura supprimit, quae in Graeco & Vulgata leguntur; plura vicissim addit, frustra utrumque quaerenda, qua facile conjecturâ intelligimus, adornatam Versionem, sive ex Originali Graeco à cæteris diverso, sive ejus Authorem minus literæ servire voluisse. Satis barbaro etiam stilo digeritur, & summam Latinae linguae corruptionem vel in nominibus propriis exhibet. Ita pro Sennacherib legit *Altavim*, & pro Nabat *Navis* (k). Insinuare videtur Sennacheribum à Judæa reducem in Urbe Charan sive *Nacharim* neci traditum fuisse. Legimus etiam ibidem *Amos* oracula fuisse in Bethlehem; tandem duo postrema Operis capita, sicut & duodecimi partem supprimit.

Quò specimen hic aliquod variantium inter Graecum, & Chaldaicum exhibeatur, animadvertendum ducimus in capite primo Graecam Versionem insinuare (ut quidem credimus) destinatam esse Aram, super quam primitivæ omnes deponerentur, sive quæ è fructibus terræ, sive quæ è gregibus pendebantur (\*). In cap. 3. 11. loquens Sara inducitur in proloquio planè sermone; se enim laqueo praefocaturam mulier illa clamitat, nisi infamis lethi moerore mortem parentibus suis se inducturam timeret. Legimus etiam cap. 6. 14. Dæmones Saram puellam deperisse. In annis vitæ utriusque Tobiae referendis, sicut & in praescribenda cæcitatibus Senioris Tobiae periodo, Graeca variat à Vulgata. Gabelum depositi loco pecuniam à Tobia recepisse, eamque sigillo ejusdem Tobie in sacculo munitam restituisse Raphaeli legimus [l] in Graeco; cum Vulgata mutui nomine receptam à Gabelo summam diserte habeat. Tobiam juniorem eadem die ad patrem pervenisse, qua Sara ejus uxor (m) in eodem Graeco traditur; capitale fuisse Rague-li, si filiam suam Tobie elocare detrectasset (n). Nihil in illo de tribus noctibus continenter ab utroque conjugè exactis (o); conventum fuisse ante susceptum iter cum Raphaelè de mercede solvenda, unius nempe drachmæ in singulos dies, adjectis quotidianis alimentis, & aliquo in premium confecti feliciter itineris (p); tandem tamquam historiæ parergon additur vicissitudinum Amani historia, quem acerrimum Judæorum persecutorem in tetrum deinde carcerem trusum, & supplicio traditum. ibidem legimus; cum interim Achiachar necessarius Tobie è tenebris deductus ad summam dignitates eveheretur (q). Nihil sanè eâ additione magis preposterum, cum historia Amani multò serius post captivi-

k Tob. 11. 20.

\* Tob. 1. 7.

l Tob. 1. 16. 17.

m Tob. 11. 18.

n Ibid. 6. 14.

o Tob. 6. 19. 20.

21. & 8. 4. 5.

p Tob. 7. 19. & 12. 1.

q Tob. ultimo ver. 12.

tatem Babylonicam, & obitum utriusque Tobie contigerit. Docemur autem his omnibus, Graecis Hellenisticis & fidem, & accuratorem in eo vertendo Opere de-fuisse.

Hebraicum hujus Libri Exemplar non unum habemus; sed illud de omnibus statuendum, neque Originales esse Tobiae Textus, neque versiones ante Jesu Christi ætatem ex Originali adornatas. Certior factus fuerat Origenes, Libros Tobie & Judith in sua lingua legere Judæos, eosque inter Apocrypha rejicere, scriptosque adeò post confectum jam ab Eisdra Hebraicarum Scripturarum Canonem (r). Istud verò Hebraicum Tobiae Exemplar, de quo Origenes, ipsissimum fuisse Originale Chaldaicum, quo S. Hieronymus usus est, suspicamus (s); nullum enim Hebraicum Tobiae Exemplar S. Hieronymus laudat; quod sanè nunquam ab eo omis-sum credimus, siquidem aliquod in ea lingua scriptum superfuisset. Hebraica lingua usurpatur in Operibus recentius scriptis, ex quo scilicet Chaldaeus pro Hebraeo puro apud Judæos jam obtinere cepit. Quare non invita suspicamus, Exemplar Hebraicum Tobiae ipsissimum esse ac Chaldaicum S. Hieronymi.

Quod spectat ad Textus Hebraicos ejusdem Libri à Sebastiano Munstero, & Paulo Fagio variis temporibus publici juris factos, tanquam Exemplaria quædam seu Versiones recentissimas ex Graeco, vel Latino adornatas, liberius ab utroque quandoque divagantes, habendos esse credimus. Editio Hebraica Fagii Septuaginta conformior, exactior, & castigatior est, quam Munsteri. Hujus posterioris hæc sunt variantia. Tobias [t] mansupium à Gabelo accepit, veluti pignus & cautionem restituendâ ad nutum pecuniæ, quam depositi loco idem Gabelus acceperat. Jeremiam laudat (u) Prophetam, qui post Tobiae obitum floruit. Tobiam contractam maculam non statim eluisse in terra impura, ut potuisset in terra Israel: quasi scilicet contracta ex tactu cadaveris macula etiam in terra Israel statim expiaretur [x]; Tobiam ante 20. annos pecuniam suam Gabelo contulisse (y); solidum pro diurna Raphaelis mercede assignatum; solidum autem ne nomine quidem Assyri norant. Tandem in ea Versione plures deprehenduntur, nec levioris momenti additiones; multò etiam plura omis-sa, uti in cap. 12. totum deest post versum 16. usque ad 20. totumque demum caput 14. quod manco Exemplari minimè tribuendum constat ex illis verbis in fine Operis appositis: *Benedictus sit Deus in aternitate. Amen, Amen. Finis Libri Tobiae filii Tobiel. Laus Deo.*

Hebraicum Exemplar à Fagio vulgatum, multò Graeco conformius, omnia ferè servat, quæ nos supra ex Graeco annotavimus; addit tamen quædam singularia, uti de tertio decimarum genere, quod à Tobia Jerosolymam allatum convivis in Templo instruendis cedebat (z); id autem nullâ Legis sanctione præceptum est. Insinuare etiam

r Orig. Epist. ad Afric.

s Ita sentit D. Huet. Demonstr. Evang. Prop. 4.

t Tob. 5. 3. & 9. 6.

u Tob. 11. 10.

x Ibid. ver. 9. 10.

y Tob. 3. 3. 19.

z Tob. 1. 7.

etiam videtur cap. 9. 9. Raphaelem unius diei itinere è Rages Ecbatana venisse, quod Hebræo Munsteri repugnat (a), bi-dui iter inter duas illas urbes statuenti. In cap. 1. 11. legimus Tobiam senio-rem, postquam è Regis Sennacheribi favore ex-ciderat, iter Elymaidem versus instituisse (Germaniam habet Textus, sed nos corri-gendum Elymaidem juxta fidem Graeci Textus censemus). In ea Regione sita erat Ecbatana, quæ etiam *Elymais* appellaban-tur. Legimus pariter cap. 5. 19. Azaria, qui socium se itineris Tobiae eunti Jeru-salem exhibuit, genealogiam; quæ omnia in Graeco quidem, in Syriaco, aliisque edi-tionibus ex Hebraico, non autem in Vul-gata apparent. Ibi etiam Urbs illa, quò Tobias & Azarias primâ itineris nocte pervenerunt, Laodicæa appellatur (b). Tandem sermo ibi de maxima captivitate (c), post eversionem secundæ Templi fu-tura; quam deinde sequeretur universi Israelis libertas, restitutio Jerosolymæ, Tem-plateque in majorem amplitudinem & ma-gnificentiam, absque eo quod evertend-um Templum deinceps unquam deserend-umque timeretur. Quæ ista captivitas, nisi maxima illa tot jam annorum patien-tiâ tolerata, quam inani spe solvendam tandem sibi blandiuntur?

D. Huetius olim Episcopus Abrincensis (d) Hebraicum Tobiae Ms. servat, quam ab utroque isto, de quo jam egimus, pla-nè diversum, multò tamen Munsteriano Exem-plari conformius. Versio Syriaca ad Graecam adeò accedit, ut sive altera ex altera, sive am-bæ ex uno eodemque Originali adornatæ vi-deantur. Variantia tamen utrinque nec levi-ora. Sed ubi non? Inter ipsa Graeca Exem-plaria non uno in loco plura resulant. Fabianus Justiniani in Tob. Praefat. n. 6. persuasum habet, Textum Syriacum, sibi olim in Bibliotheca Medicea Romæ vi-sum, in nonnullis ab altero in Polyglottis Anglicis excuso discrepantem, à Tobia Se-niori in usum Chaldaeorum, & Judæorum descriptum fuisse; Textum verò Chaldaicum, Latine à S. Hieronymo versum; To-biam filium Authorem habuisse; ex quo duo ejusdem historiæ Originalia statuenda essent; Chaldaicum nempe, & Syriacum; quorum primum Latina versio, secundum Graeca præferret. Sed cui bono biseadem historia literis mandaretur; semel à Tobia parente Syriacè, iterumque à Tobia filio Chaldaicè? An fortè illorum ætate Chaldaicum, & Syriacum eloquium di-stinguebantur? Ad hæc cum Syriaca ead- dem menda, quæ Graeca, præferat, ve-luti ex Graeco Versio mendosa planè, & minùs accurata jure meritoque reputatur.

Non duo, sed tria Tobiae Originalia admittit Serarius; Chaldaicum nempe, jun-ctâ simul operâ ab utroque Tobia de man-dato Angeli scriptum; & gemina alia. Hebraica à singulis illis viris scriptum. Su-specta tamen est tot Originalium unius ejus-demque historiæ, nullâ ferè necessitate cogente, multiplicitas. Commodè enim in-tentum haberi potuerat, si unius ejus-demque plurima Exemplaria scriberentur.

Sola quin etiam Originalium, uti quidem autumant, Hebraicarum lectio satis con-vincit, ea quæ Originalia Hebraica Sera-rius appellat, nonnisi meras putasque ver-siones esse Graeci sive Latini recentissime adornatas, & liberius, pluribus ad arbi-trium adjectis, quam Interpreti par sit, excurrentes. Editio Constantinopoli de-lata Graecam Originale præferret, cui fe-rè in omnibus adheret. Germana à Mun-stero vulgata Latino Textui inhæsisse vi-detur, quem tamen pluribus adjectis in-terpolavit. Sola ejus lectio eversione Je-rosolymitana recentior esse abundè de-monstrat.

Laudat interdum Justiniani Versionem quandam Arabicam sibi communicatam à Victorio Maronita, Theologiam in Uni-versitate Romana profitenti. Opus illud nunquam lucem aspexit, sed referre dic-tur Vulgatam, quasi ambæ ex uno eodem-que Originali expressæ; nisi fortè, quod malum, è Vulgata ipsa Opus adorna-tum sit.

Liber Tobiae deest in Canone Judæo-rum, perinde ac in vetustissimis Sanctorum Librorum Catalogis. S. Hieronymus in Praefatione in Tobiam scribit: *Arguunt nos studia Hebræorum, & imputant nobis non solum in Canone; Et contra suum Canonem Latinis auribus ista transferre.* Inter Canonicos sacrosque Li-bros non apparet apud Melitonem, Orige-nem, Concilium Laodicenum, S. Athana-sium (e), S. Cyrillum Jerosolymitanum Catech. 4. S. Gregorium Nazianzenum car-mine de verit. Script. S. Epiphanium de Ponder. & Mensur. S. Hilarium in Pro-log. Psal. & S. Hieronymum (f). Non satis etiam à quibusdam Recentioribus ob-servatur; quorum aliqui in tantam vene-runt audaciam, ut non veram historiam, sed fabellam aliquam referre Opus arbitrentur (g); quasi scilicet gemini Tobiae perso-nam referant probi parentis ac filii mo-rigeri; quorum vices depingant, quæ sunt à Deo præmia pro bonorum operum exercitio, eleemosinâ maximè & sepultura mortuorum.

Quamvis Opus istud in priorem Ju-dæorum Canonem, eos tantum Libros He-bræicè scriptos continentem, non cooptetur; quamvis Patres qui solum Canonem Hebræorum retulerant, nullum illi locum assignaverint, certum tamen ratumque ha-bendum est, Libro Tobiae Divinam man-sisse tum apud Hebræos cum apud Eccle-siam Christianam auctoritatem. S. Cypria-nus non semel Tobiam velut Opus Divi-num, & à Spiritu S. dictatum laudat (i). S. Polycarpus in sua Epist. S. Clementis Alexandrinus, Origenes (k), Author Con-stitutionum Apostolicarum lib. 1. cap. 1. & lib. 3. cap. 15. S. Basilus Hom. de avarit. S. Ambrosius (l), S. Hieronymus Epist. ad Chromatium; S. Augustinus (m); alii-que Patres unâ cum cæteris Sacrorum Li-brorum Tobiae auctoritate usi sunt. Re-centetur in Catalogis Librorum Canoni-corum Concilii Hipponensis [n] Cartha-ginensis III. (o); Epist. Innocentii I. ad

e Athanas. Epist. Festali, & in Synopsi s Hieron. Prolog. Galeat. Tobias & Pastor non sunt in Canone; Et Praefat. in Lib. Salom. Judith, & Tobia, ... Legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit. Vide & in cap. 8. Dan. & Praefat. in Joan. g Vide si placet Epist. Pelagi ad Erasum. h Paul. Fagius. i Cyprian. lib. 3. Testimon. & lib. de Ope-re & elemos. k Origen. contra Cels. lib. 5. Mysterium Regis celare bonum est. l Ambros. lib. 6. in Hexæ-mer. lib. de To-bia & lib. 3. de Officiis cap. 16. m August. lib. 2. de doctri. Christi. cap. 8. & lib. 3. cap. 18. & in Speculo &c. n An. 393. can. 38. o An. 397. can. 47.

Exu-

a Tob. 5. 8.

b Tob. 6. 1.

c Tob. 14. 7.

d Huet. Demonstr. Propos. 4.